



1. Rus s: Joh. Reich: s: diff. de serpente seductore non naturali sed solo Diabololo
ende 1712.
2. — diff. de Sario Mosir in Montem Pirai
ascensu j:ano 1716.
3. — diff. de iudea rebus gestis et
miraculis Christi c: Clara j:ano 1733.
4. — diff. de veris spectatoris Iesu Christi
requisitis j:ano 1733.
5. Rur Meyer s: Mich. Christ: s: diff. de Ara-
ne, viro sancto tribus Levi, typico
Christi Propheta 1738.
6. Bauerbreij s: Joh: s: diff. de Deo uno et
trino 1668.
7. Schaeferi s: Joh: s: diff. de septem Igiuri-
tibus a Joh: Theologo celebratis
Lipsia 1736.
8. Schelzwingi s: Sam: s: diff. de dono fidei
justificantis, 1734.

duodecim

9. 14
21

DISPUTATIO THEOLOGICA
INAUGURALIS
DE
**UNCTIONE MESSIÆ,
J E S U,
DOMINI NOSTRI,**

Ex Ps. XLV. 8.

Du liebest Gerechtigkeit, und hassest
gottlos Wesen, darum hat dich Gott, dein
Gott, gesalbet mit Freuden-Öele ic.

P R Ä S I D E

DN. SEBASTIANO SCHMIDIO,

SS. Theol. D. & Prof. Seniore Celeberrimo, Ampliss. Facul-
tatis Theologicae Decano, ac Convent. Eccle-
sialifici Præside,

*Pro acquirendis Summis in Theologia Honoribus,
& Privilegiis Doctoralibus*

solemniter proponet

ANDREAS BRUN,

Suecus.

Die 19. Octobr. Ao. M DC LXX. Horis ante & pomeridianis.

VITEMBERGAE,
Apud IO. CHRISTOPH. TZSCHIEDRICHIVM,
Recens 1738.

[7]



PROOEMIVM.

Anni haud pauci sunt elapsi, cum animum meum ad Theologie studium appuli, monumentisque sacris me totum devoxi; ac non quidem sine DEI (de quo mibi pie persuasus sum) impulso, Regiaeque Suecorum Majestatis, Regis mei clementissimi, CAROLI GUSTAVI, pie nunc defuncti, memoriae glorioissimae, voluntate. Hujus vero etiam augustissimo auspicio ac jussu, ut eo melius scopum meum affequerer, constitutum est, ut exteris regiones viderem: partim in orthodoxis Academiis, Doctrinam sinceram, Voluntati Divine conformem, a viris DEI, ac celeberrimis orthodoxis Theologis, bauendi causa; partim videndi palpabiles, gravissimosque hereticorum errores, prasertim Romano-Catolicorum, in quibus quotidie versantur, & quos animus, Divina veritate imbutus, non sine horrore videre potest, quin cum Divo Paulo exacerbetur, ex Act. XVII, 16. θεωρῶν κατειδῶλον εἶναι τὴν τὸν

A 2

XCV-

XPISTAVW^m 20LIV, spectans adeo cultui Idolorum deditam esse Christianorum civitatem. His ergo meis peregrinationibus, & ex parte studiis, nunc, DEO duce, quantum fieri potuit, absolutis, ac urgente jam tempore, in Patriam charissimam redeundi; meum vindetur ante omnia esse debitum officium, ut primum Deo Optimo Maximo submisse gratias agam, quod me semper incolunem per multas Regiones periculosisimas duxerit, ac mibi clementer sumptus sufficientes suppeditaverit: deinde SERENISSIMO REGI meo; qui me ante annos octo revertentem in Patriam, postquam jacturam feceram omnium librorum, ac multarum rerum necessiarum, per octo annos comparatarum, & in exteris terris collectarum, clementissime exceptit, & munificentissime habetens aluit, ut in Epistola dedicatoria est indicatum. Sed hac divina gratia, regiaeque clementia, ne frustra usus esse viderer, utque optimam de me in Patria expectationem non frustrarer, visum est tandem, etiam studiis meis colophonem imponere, idque in hac precipue, ut alibi, ita & in Patria mea optime audiente Academia Argentoratensi; & veneranda amplissimaque Facultate Theologica modeste petendo licentiam, ad summum in Theologia gradum adspirandi. Quem in finem bac a me inauguralis

con-

conscripta est disputatio: materia in specie selecta,
de undione Meſſie, Salvatoris & Regis nostri Opti-
mi Maximi. Quia enim nunc instat tempus, quo
POTENTISSLIMUS SVECIAE REX corona-
bitur & ungetur: occasio opportuna mibi videba-
tur oblata, scribendi aliquid, in honorem CHRI-
STI simul & Regis mei, quod tempori conveniret.
In quo nimirum & CHRISTO, meum religiosum
cultum, & mentem meam **SERENISSIMO**
REGI devotissimam patescerem. Quare inter
omnia alia dicta scripture, mibi placuit illud Psalm.
XLV. vers. 8. quod de unctione Meſſie nostri perfe-
ctissime tractat, qui Rex & Messias noster est. Quod
meum propositum ita comparatum est, ut & veter-
um & recentiorum DEI cultorum, imo & ipsius
Christi nitatur exemplo, qui per sacram aliquam
civavwyv, occasione rerum temporalium, & terre-
strium, Spiritualia, Cœlestia & Divina meditati-
sunt: sic enim Christus occasione pīcationis, satio-
nis, cibationis &c. mysteria cœlestia Regni Divini
subinde exponere solitus est; & sub imagine aquæ,
mulieri Samaritanæ, Spiritus Sancti dona cognoscen-
da exhibuit. Horum itaque vestigiis insistendo, uncio
SERENISSIMI REGIS mei terrestris gradus
est, quo veluti per scalas ascendam, ad rimandam

A 3

Cale-

ento T

Cœlestis Regis Messiae, salutarem toti mundo, unctionem, Fauxit Deus Optimus Maximus, ut hoc propositum meum cedat in ipsius honorem, & Ecclesiae Christianæ edificationem! Qui idem Deus unctionem futuram SERENISSIMI REGIS SVECORVM cœlesti oleo Spiritus Sancti consecret: ut Ecclesia Evangelica, & Respublica Suecorum, sub novo SERENISSIMO hoc REGE, floreat, vigeat, crescat, & amplissimum Regno Christi fructum ferat, cuius & ego sim, maneamque subjectissimum non minus, quam feracissimum membrum, quod hic in Regno gratie, in Christo, & per Christum, vivat, & Christo grata, Ecclesiaeque ejus utilia agat, tandemque in regno gloria cum Christo in aeternum regnet, AMEN!

Totius

Totius vero nostræ disputationis methodus *tribus* his *capitibus* absolvetur. In *primo*, textum ipsum originalem, collatum cum versione Chaldaica, Græca LXX. interpretum, & aliquot aliis, ob oculos ponemus, & si qua notatu digna occurrent, breviter animadvertemus. In *secundo*, sensum literalem singulorum Hebraicorum vocabulorum, & totius versiculi analysis enucleabimus. In *tertio*, usum Theologicum, in præcipuis quibusdam orthodoxæ doctrinæ articulis confirmandis, considerabimus.

C A P V T I.

In quo textus originalis, cum versionibus aliquot, proponitur: & nonnulla observantur.

Juxta ergo paulo ante indicatam, quam observaturus sum, methodum, primo hoc capite, Texrus ante omnia Originalis Hebreus proponetur, ac versiones, Chaldaica, Græca LXX. viralis, & aliae aliquot subjungendæ sunt: quibus tandem addenda annotationes nonnullæ.

Sic ergo I. habet.

I. Textus Originalis Hebraicus, sicut expressus est, cum literis, punctis, vocalibus, accentibus, & notis Masoreticis, in Bibliis Hebraicis Basilienibus Majoribus Buxtorffianis,

V. IV

vers.

Vers. 8. Ps. XLV.

אהבת צדק ותשנא רשע עלְבָן מִשְׁרָחֵל אֱלֹהֶם אֱלֹהֶךָ שְׁמֵךְ
שְׁנַן מְחַבֵּךְ :

II. Targum, seu versio Chaldaica, vulgo R. Josepho coeco tributa, sicut in modo nominatis Bibliis Buxtorffianis edita est.

מְטוֹל יְהֹוָה לְחַמְלָא צְדָקָתָךְ וְסְנָתָךְ רְשָׁעָתָךְ מְטוֹל הַבְּנָה דְּבָרָךְ
וְאַזְרָךְ מְשָׁחָתָךְ וְתְהִוָּתָךְ מְנֻחָתָךְ :

III. Versio Graeca, vulgo LXX, interpretibus tribui solita, ut ea exstat in editione Londinensi in 4to anno 1653. iuxta exemplar Vaticanum Romae editum.

Ὑαπητας δικαιοσύνην, καὶ μίσοσας ἀνοίαν, οὐ τότε ἔχρισε σε
οὐ Θεός, οὐ Θεός σου, ἐλαφον ἀγαλλιάσσων, παρὰ τὸς μετόχους σου.

IV. Versio Latina, Vulgati interpretis.

Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterera unxit te DEUS, DEUS tuus, oleo latitiae, pre confortibus tuis.

V. Versio Latina Chaldaici interpretis, ex octaplo Psalterio Augustini Justiniani Episcopi Nebientis.

At o tu Rex Meſias, quoniam dilexisti iustitiam,
& odisti impietatem: propterera unxit te Deus,
Deus tuus, oleo latitiae, abundantius, quam confortes
tuos.

VI. Ver-

VI. Versio Hieronymi.

Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis, pre participibus tuis.

VII. Latinam paraphrasin, ut totius psalterii, sic & hujus versiculi, brevem, sed nervosam, & elegantem, superiori seculo adornavit Johannes Campensis, quam ita enarravit.

Amantisimus es iustitia, & odio prosequeris
quicquid est ab aequitate diversum, quare unxit te,
Christe Deus, Deus tuus, oleo fragrantiore, quam
ullum unquam socrorum tuorum.

VIII. Versio B. Lutheri.

Du liebest Gerechtigkeit, und hassest gottlosz Wesen, darum hat dich Gott, dein Gott gesalbet mit Freuden - Del, mehr denn deine Gesellen.

IX. Versio Latini interpretis Germanica Coloniensis, Pontificii D. Johannis Dietenbergeri, quæ prodidit an. 1550.

Du hast geliebet die Gerechtigkeit, und gehasset die Ungerechtigkeit, darum hat dich
B. GOTT,

GOTT, dein Gott, gesalbet mit Freuden-Oel,
über alle deine Mitgesellen.

X. Versio Jesuitarum Moguntinorum Vulgati
Latini interpretis, quæ prodiit an. 1662.

Du hast die Gerechtigkeit lieb, und hassest
die Ungerechtigkeit: darum hat dich, o Gott,
dein Gott mit Freuden-Oel gesalbet für deie
ne Mitgenossen.

XI. Versio Socinianorum Racoviensis Novi
Testamenti, edita an. 1630. ex Hebr. cap. I. v. 9.

Du hast geliebet die Gerechtigkeit, und ge-
hasset die Gottlosigkeit, darum hat dich, O
Gott, dein Gott gesalbet mit dem Oele der
Freuden über deine Mitgenossen.

Item quantum II. ad Annotationes.

I.

Circa $\text{\texttimes}^{\text{p} \sigma \text{v}}$ textus Hebrei noto, quod nihil in eo oc-
currat anomali quoad Grammaticam, nisi fortassis
ratione accentuum. Nam in voce עֲשֵׂה accentus Mer-
cha simplex, qui alias, ut minister, nihil distinguit, hic
aliquo distinctionis officio fungitur. Accentus Munach,
quem gerit vox אֱלֹהִים, alias quidem ut plurimum, ut
mini-

minister, nihil solet distingue; hic tamen parumper distinguit. Neque enim una eademque persona, in eodem casu prolatæ est, אלהים & אלהים. Similia exempla, ubi Munach saltem aliquid exigui distinguit, vide in hoc ipso Psalmo, vers. 7. ad vocem קסאך throneus tuus, & v. 11. בָתְן filia. & v. 14. כבורה gloria vel gloriofa, item זהב aurum. Accentus Athnach voci subscriptus, qui alias, ut plurimum sententiam in colon distinguit; vix distinctionem commate majorēm efficit. Nam verbum unxit te, continuo nexus construitur cum voce olo. Nisi quis existimeret, post Athnach repetendum esse verbum משחר unxit te, hoc modo propterea unxit te, o DEUS, Deus: משחר unxit, inquam, te olo letitia, pra consortibus suis. Ad nomen רשות, & ad vocem מחר בר circelli adscripti, ad notam masoreticam marginalem pertinent. Ubi Masoretæ norant, vocem יר decies septies in codice Hebræo legi, cum patach parvo seu saghol, ita, ut hoc suum saghol etiam in pausis, seu cùm accentibus distinctivis retineat, nec ob eos illud mutet. Quæ loca, si quis nosse volit, adeat concordan- tias Hebraicas Buxdorffianas in radice רשות ubi sigillatim recensira sunt: Vel Masoram magnam ad Mich. VI. v. 10. ubi itidem recensentur omnia. Ad vocem autem מחר בר notant ל hoc ast לית non amplius in codice sacro hoc modo, cum Mem præfixo, & Caphe Juxfixo, legitur, וחרבר & defellitum est; quia deficit in eo jod pluralis numeri: Plene enim ita scribendum fuislet, מחר בר.

II. Etiamsi textum originalem Hebraicum, omnium perfectissimum merito esse, censeamus, in quem nulla dubitatio cadat, & cuius autoritatem in dubium revo-

care, Christiano sincero non fas sit, cum hæc sint eloquia
DEI Omnipotentis, quibus voluntatem suam gratiosam
gratia agentibus patefecit : haud sine utilitate tamen,
versionem Chaldaei interpretis, cum reliquorum conser-
deratione dignis, textui Originali subjungi posse, existi-
mamus, ut earum collatione illico discrimen appareat.

III. In Chaldaico igitur interprete notamus, quod fe-
re ~~κατάνοδα~~ sequatur ipsum textum Hebraum ; nisi quod
ab initio addidit רְמָלֵךְ propterea quod, vel quia, ut si-
gnificaret dilectionem iustitiae, & odium impiegetis, cau-
sam esse sequentis unctio[n]is. Pro Hebraico רְמָלֵךְ unxit,
usurpant Chaldaei verbum רְבִי, quod alias significat, ma-
gnificavit, educavit. Hic autem, ut & alibi frequenter in
Targum, significat, unxit. Quia unctio talis rebus unctis
addit aliquam authoritatis & honoris magnitudinem.
Pro אֱלֹהִים Deus, perro Chaldaeus noster usus est voce יְהֹוָה
qua solet nomen Dei יהֹוָה alias exprimere. Non vide-
tur ergo intellexisse in Vocabulo, pro nomine ipsius un-
cti Messiae, sed retulisse ad ipsum ungentem, Deum Pa-
trem. In Authore versionis autem Latinæ Chaldaici in-
terpretis, considerandum primum nobis se offert, quod,
interpretationem ejus reprehensione esse dignam, mihi
quidem haudquam videatur : aliqua tamen textui
Chaldaico addidisse, inficiari non possumus. Verba hæc
sunt, At o tu Rex Messiar. Occasionem his verbis textum
amplificandi, ipse Chaldaicus interpres, ei præbuit, cum
in versu tertio inicii Psalmi, iisdem verbis utitur : que
tamen textus originalis non complectitur. Ceterum se-
cundum meum judicium, in hunc finem apposuit, ut clari-
tor, Psalmum hunc de Messia vaticinari, manifestaret:
nec quendam sanorum Theologorum nostri seculi, hunc
Psalmum de Messia intelligendum, inficiari putauit.

IV. Ver-

IV. Versioni autem LXX, interpretum haud exiguum laudem defert Sanctus Paulus, cum ipsa verba in Epistola ad Hebreos allegat, Cap. I. v. 9. quæ etiam a nobis magnificienda: sed pro avthentica minime habenda, ac texti originali æquiparanda. Contrariam sententiam aliqui Papistarum tenuerunt. Ita Morinus Præfatione in Biblia Græca, Parisiis excusa, demonstrare conatur, Hebraica exemplaria esse corrupta, LXX. autem versionem integrum, ac iis præferendam: cui Franciscus Taylor, & Arnoldus Bootius sese opposuerunt. Huic subjicio Serarium Leonem de Castro, Baronium, qui pro avtentia LXX. versionis contendunt, & omnium copiosissime Salmeron. Ceterum in versione Græca hujus versiculi, Chryostomus pro dia τέτοι legit: αὐλὴ ἐπὶ τέτοι & pro ἑλαιον ἀγαλλισθεος, habet ἡλιόν ἀγαλλισθεον, oleo oblectamenii, vel ornamenti, addicte Hebreum habere τατὸν τέτοι τηλλωπισθεον, δίξην, κύρου. In quo tamen rem acu non tetigit: Cum πνευμα non signifiet gloriam, sed gaudium.

V. Præterea Concilii Tridenti censuræ non subscribimus, quod Vulgatam versionem authenticam habendum statuit. Plurimi Papistarum versionem hanc Hieronymo tribuere non dubitant: sed collata hujus dicti versione Vulgata cum Hieronymi, discriben illico manifestatur. Denique hujus sententia propugnatoribus, ut Augustino, Eugenio, & Pico Mirandulano, Bellarminum opponimus, qui sententiam contrariam de versione Psalterii fovent: ac multis argumentis eos refellit, in Disputationibus suis de Controversiis Christianæ fidei, Tomo primo. cap. 9. de Verbo D E I, Lib. II. pag. 107. Reliquos autem libros scripturæ sacrae, exceptis, ut diximus Psalmis, libro Sapientiæ, Ecclesiastico, & Machabeis, Hieronymo absque dubitatione tribuit. Etiam si in cap. 10. tractatus superius

perius citati pag. 113. in haec verba erumpit: Nam, va
nostra versio est Hieronymi, vel certe illa antiqua communis,
quam Augustinus vocat Italam: si est illa antiqua, magnum
testimonium habet ab Augustino; si autem est Hieronymi, ut nos
supra probavimus, habet testimonia omnium veterum, qui eam
videre potuerunt.

VI. D'eta autem Versio Latina Vulgati interpretis, ut
in toto Psalterio, ita & in hoc Psalmo non est ex Hebreo
textu, sed ex LXX. interpretum Graeca versione facta;
quae hic tamen textui Hebraico satis bene convenit: ni-
si quod vocem υἱοῦ LXX. per ἀρρενας, & Latinus inter-
pres, per iniquitatem reddidit: quod alibi Hebreo vo-
cabulo convenientius verterunt, per ἀδικητας impietatem.

VII. Circa versiones Germanicas observamus, quod
Luthero visum fuerit praeterita נָכְרָה dilexisti, & נַעֲשָׂה
& odisti, vertere in praesenti, du liebest und hassen, quia,
cum Hebraei careant indicativo praesenti, pro eo saepe
soleant adhibere praeteritum. Deinde υἱοῦ proprius He-
breo vocabulo vertit gottlos Wesen; quam vel Dieten-
bergerus, vel Moguntini: Ungerechtigkeit. Praeterea in
verbis, Gott dein Gott, Lutherum etiam prius, Gott,
in Vocativo intellexisse, patet ex Commentario ejus in
hunc Psalmum, qui habetur in Tom. 5. German. pag. 502.
editionis Altenburgensis, ubi scribit: Hieraus beweiset ge-
nugsam die Epistel zu den Ebreern die Gottheit Christi, Ebr.
cap. 1. v. 9. Non improbo ergo, quod Moguntini ver-
terint, O Gott, ad Vocativum clarius exprimendum.
Sed non probo, quod pro clariore versione Lutheri,
mehr denn, vel ipsius etiam Pontificii interpretis Dieten-
bergeri, über alle, maluerint ambigue vertere, für. Nec
video

video, quo jure taxaverit Sixtinus Amama in Libro B.
belische Conferentie, nostram Lutheri versionem, darumb
hat dich Gott, dein Gott: addens Hebraica etiam ita
posse verti: Darumb hat dich, O Gott, dein Gott, etc.
O Gott Christe, dein Gott, Gott der Vater. Sicut
etiam verterit Junius, Piscator, Aldegonde & Geneven-
sis. Quasi vero non eandem etiam sententiam exprimat
versio Germanica! neque enim semper ad Vocativum
exprimendum in Lingua Germanica opus haberi, ut præ-
mittatur, O, existimamus: sic dicimus, Unser Vater, der
du bist im Himmel, non, O unser Vater.

C A P V T II.

*Totius versiculi Analysis, & singulorum verborum
Hebraeorum considerationem, cum sensu
literali complectens.*

L

Praemissa variarum versionum collatione, & consideratione, proprius rem ipsam aggredior, in nomine JESU, cuius & auxilium imploro.

Cum vero versum octavum Psalmi XLV. nobis propter certas causas superius expositas, pro materia disputationis, selegerimus, operae pretium nobis videtur, praemittere brevem considerationem quaestions. An secundum literam de Salomone, ut aliqui censem, & mystice de Christo hic Psalmus, adeoque in eo etiam noster versculus, tractet: An vero sit absolute de solo Melia explicandus? Utque eo melius scopum nostrum asse-

assequamur, cohaerentiam etiam antecedentium cum
versu nostro, ac consequentium animadvertemus.

II. Grotius itaque, cum Calvinus, hunc Psalmum canticum amatorium mundanum, in honorem Salomonis cantatum absque dubitatione censeret. Rivetus autem, omnes interpres Psalmorum, ne quidem Hebraeis exceptis, existimare confitetur, Psalmum hunc esse Epithalamium, idque spirituale, ac proinde non *o^racuⁿas*, sed *p^ursim^{os}*, de spirituali connubio inter Christum & Ecclesiam intelligendum; statim tamen quaestionem dubiam movet, num scriptum fuerit hoc carmen, occasione nuptiarum Salomonis? Ebraei enim (ait) constanter affirmant: ita ut sub typo, Salomonis Sponsi, & filiae Pharaonis Sponsae ejus, cui Psalmus referatur, secundum sensum literalem primo, tanquam sub imagine, depingatur Majestas, & amplitudo regni Christi. Additque: haec communis sententia Hebraeorum, quos sequuntur Calvinus, Bucerus, Junius, & aliqui Pontificiorum. Huc sententiae calculum suum Rivetus subjungit, cum aliqua tamen moderatione, cum scribi: *inconveniens non fore, si quis habeat rationem bislorie, in interpretatione, quia multa in hoc Psalmo continantur, ad pompam illam nuptialem pertinencia*. Haec ille. Etiamsi autem Rivetus in eorum sententiam videatur inclinare, qui secundum sensum literalem hoc canticum Salom. applicant, ac mystice Christo, quam etiam Moguntina versio, nuper edita, tuetur; tamen in haec verba tandem erumpit: *Huc igitur nobis erit dirigenda tota bujus carminis interpretatio, ut explicemus honorem Messie, veri Salomonis, verique Jelidja, sponsi, & eorum, qui per eum communandi erant, ab infidelitate ad verum cultum DEI, hoc est, Sponsa ejus, Ecclesia genium; vestigii, insisterentes Apostoli, qui Epist. ad Hebr. cap. 1. duos versus bujus Psalmi Chri-*

Christo diserte attribuit, quod certe non fecisset, cum ipse cum Iudeis res esset, nisi extra controversiam possum fuisse, hunc Psalmum ad Messiam pertinere. Haec Rivetus. Nos sine aliqua exceptione, cum Reverend. Doctore Calovio aliisque, hoc canticum secundum literam Messiae nostro assignamus.

III. Quanquam de amanuensi Spiritus Sancti, vel auctore secundario nobis certo non ex scripturis constat, valde tamen probabile censemus, Psalmum hunc a Davide conscriptum esse. Tractat hic Psalmus de rebus arduis, & mysterio plenissimis, verbis suauissimis, estque Divinum aliquid Epithalamium, ad cuius perceptionem intelligentia quadam superna nobis opus esse, magnificus statim ingressus Psalmi indicat. Quia autem hoc loco institutum non est nostrum, singulos versus evolvere, quod nobis nimis prolixum foret: versus octavi tantum antecedentia, cum consequentibus perpendemus. Ideoque ex diligenti contextus inspectione, Prophetam mentionem unius Personæ per totum Psalmum fecisse, clare nobis liquet: Nec Salomoni omnia Epitheta convenire sano sensu quis affirmet. Cum e. g. Psaltes thronum ipsius in perpetuum duraturum, hoc est, Regnum ejus in æternum mansuram, affirmet. Quod ex vocabulo שָׁמֵן probatur.

IV. Hoc שָׁמֵן in scripturis varie exponi, non inficior; sed hoc loco pro æternitate accipiendum, particula שָׁמֵן ei conjuncta Hebrææ linguae gnaris clare indicat: ut Rivetus ipse facetur. Quod de Salomonis regno non possumus dicere, cum non ultra quadraginta annorum spatum duraverit. Præterea persona, de qua canticum loquitur, appellatur נְהִים, idque ab solute quod nulli-

C

bi

bi in scripturis ita reperitur de hominibus, vel Angelis: exemplum Mosis clare hoc monstrat; cum vocatus fuerit אלהם, sed Pharaoni & Aaroni. Porro fit mentio שבט quod baculum & virgam alias significat: hoc tamen loco non dubitandum, quin pro sceptro, & authoritate, ac dominatione Regis positum. Primum extat sceptrum regni studinis: sequitur sceptrum Regni tui. His verbis Prophetia Regnum Christi perpetuum fore, ac eum summa justitia illud administratur, clare omnibus vultu indicare: quod iterum Salomonis non convenit: cum turpiter a Deo defecerit. Huic pulchre v. 9, subiungit, in quo primum virrus haec laudatissima, justitia, Regi regnatur conuenientissima, iterum repetitur, & causa exponitur, ob quam Regnum Messiae in eternum sit duraturum: *Quia dilexisti justitiam, & odio habuisti iniquitatem: Haud sine magna Emphasi, haec verba bis posita, quæ alias videntur esse equipollentia: dilexisti justitiam, & odio habuisti iniquitatem: sed moris est Hebreis, ita loqui, ut significant, quod majori cum animadversione ejusmodi sint perpendenda.* Secundo unde tanta dilectio, tantus amor justitiae, & odium iniquitatis emanarint, verba consequentia manifestant, in quibus עליון particula non causam efficientem denotant, quasi sensus sit: proper dilectionem justitia Christum unctum fuisse, sed finalē, seu effectum, id est, ut bonum diligeres, unxit te. Cui sententiae Anshelmus, Augustinus, Hunnius, ac Chemnitius, & quidam ex Pontificiis subscribunt. Quibus accedit etiam Rivetus, cuius verba haec sunt: יְהוָה non de causa consequentia, sed de causa consequentiis, (exponimus) ut non amor justitiae, sit causa, cur Deus unxit bunc Regem, oleo letitiae, sed ut unitio causa sit tanti amoris, & odii, quasi diceret, in eum finem, ut diligeres justitiam, quia unxit te oleo letitiae. Huc usque Rivetus:

vetus: qui etiam Augustin. allegat hoc modo: *Propterea, ut diligeres iustitiam, & odio prosequereris iniquitatem, unctus es.* Sic & Simeon de Muis in hunc Psalm. *Propterea, hic non premium juste administrati regni, sed causam finalem significat: quasi dicat, Propterea unxit te, ut diligeres iustitiam, & odio haberes iniquitatem.*

V. Ut autem, secundum monitum D. Apostoli, 2. Timoth. 2. 15. ὅρθοπανδρ, h. e. in articulos suos recte dividamus, hunc versiculum, considerabimus. 1. *Quis sit unctus?* 2. *Quis ungens?* 3. *Quia unctio?* 4. *Quod unguentum?* 5. *Quis effectus?* Quibus denique seqv. cap. 3. subjungemus, qua inde fluant doctrina.

VI. Primum ergo membrum nostræ tractationis est, ut consideremus; *quis sit unctus?* Non sunt jam (juxta ea, quæ modo disputata sunt) audiendi, vel aliqui Judeorum, vel Christianorum, qui per hunc unctum intelligunt Salomonem, vel alium quemcunque, præter Messiam. Nam hic unctus talibus prædicatis afficitur, quæ in alium nullum quadrant, quam in solum Messiam: ut alia prædicta, quæ in prioribus, & sequentibus versibus de eo enunciantur, præteream; sufficient ea sola, quæ hoc versiculo ei tribuuntur. 1. Summus & perpetuus iustitiae amor, & odium iniquitatis. 2. Ungi Spiritus Sancti immensis donis, supra omnes homines: & 3. quod maximum est, esse אלֹהִים DEU M. Nam dicit sanctus Psaltes; *Unxit te, o Deus, Deut tuus &c.* Ut dubium non sit, quin is, qui unctus esse dicitur, Deus vocetur.

VII. Evidem fuit, qui non dubitant, verba אלֹהִים in hoc loco, pro duobus Nominativis accipere. Sed textus, & coherentia versus 7. cum 8. evidenter nobis

bis indicant, אלוהים in Vocativo exponendum. Cum si ne dubio subjectum, quod unctum est, per vocem hanc intelligatur. Alias, si emphaseos causa hic repetitum es- sit, more Hebræorum, forte eundem modum retineret: uti ex Psalm. XXII. pater, cum Christus נָאֵל אלהים exclamavit. Juvat etiam inspicere dictum, Gen.XLVI. Exod. III. vers. 4. 1. Sam. III. vers. 10. Job. XVI. v. 12. Itaque haberet אלוהים, si emphasis indigitaret. Etiam si vero etiam concederemus, hanc vocem Emphasis aliquam præ se ferre; tamen neminem, eam æque ad ungentem, ac unctum pertinere, affirmaturum puto. Quia contextus in descriptione uncti, totus occupatus: cuius etiam præcedenti versu mentio fit, & quidem אלוהים in Vocativo ibi usurpatum, omnibus claret. Nostram sententiam Apostolus pulchre stabilit, cum hunc versum octavum probandæ Deitatis Christi gratia allegat; ubi nisi אלוהים in Vocativo intellexisset, verbum præcedenti hunc non adjunxisset, quia jam Deum Messiam ibi vocaverat. Accedit etiam consensus interpretum: Ambis interpre- tis, Justini contra Tryphonem, Irenæi, lib. 3. cap. 6. Tertull. ad Prax. cap. 13. Laclani, lib. 4. Just. c. 13. Hilar. lib. 4. de Trin. amb. lib. 1. de Fide, Hieron. Epist. ad Principiam virg. August. contra Jude. Fulg. lib. III. ad Thrasym. Qui Patres omnes etiam ex hac voce filii DEI Deitatem hoc in loco probant. Ipsi Racovientes etiam, ut ex versione eorum, supra a nobis proposita, apparet, huic sententiae subscribere, propter textum luculentum, coguntur, ceterique Sociniani, vocativum hic admiserunt. Ita Crellius de DEO & attribut. Divin. cap. 9. Exemplum illustre hic habetur, ait, ubi Christus אלוהים appellatur versu nempe 7. & 8. Psalm. XLV. Riverus etiam calculum suum huic senten- tie haud denegat, in Comment. in bunc Psalm. quamquam hanc

hanc vocem נָאֹת Salomonis participative, Messiae vero essentialiter, & hoc recte, tribuit; Et absque omni dubitatione in vocativo adhibitum esse afferit. Præterea Augustin. in Comment. hujus loci sic scribit: *Etsi in Latino, idem casus nominis videatur repeti, in Graeco tamen esse evidenterissimam distinctionem, quia unum nomen est, quod compellatur, alterum, ab eo, quod compellat.* Quidam ω in ο in nostris exemplaribus hodie existentibus mutatum, incuria Typographorum, existimant: Sed Hieronymus, fidelis harum rerum indagator, in Epistola ad Principiam, eandem lectio[n]em suo tempore, ac hodie fuisse testatur. Et Eusebius ante Hieronym. quosdam נָאֹת in vocativo legisse fatetur, non quod LXX. ita transtulerunt, sed quia Hebraico textui magis conveniens fuisse, sibi ipsi persuaserunt. Porro nihil obstat, quin ὁ Θεὸς, cum ὁ μητρὸς expressum in vocativo, more latinorum, explicetur; exemplum v. g. in Epistola ad Hebreos nobis clarum exhibet, ubi נָאֹת ὁ Θεὸς a plerisque, ο Deus, exponitur.

VIII. Secundum tractationis nostræ membrum nobis jam despiciendum est: *Quis scilicet sit ungens?* Is dicitur hic DEUS tuus, DEUS Messiae. Hic sententiam plurimorum, נָאֹת statuentium, significare ipsum Patrem, amplectimur. Brenius in Comm. suo נָאֹת filio DEI quidem assignat; sed ipsius sententia in hoc loco non subscribimus. Quia absolute DEUS tuus, id est, Christi, vocatur. Nec obstat, si quis objiciat, Christum esse Deum, ideoque non posse eum habere Deum. Secundum enim Deitatem quidem, fatemur, haud quaquam eum posse habere Deum: sed respectu humanæ naturæ, secundum quam consortes habuit, agnosci DEUM. Quod Psal. XXII, confirmatur, cum Deum suum invocat נָאֹת qui

qui scilicet est DEUS Pater æternus. Et Joh. XX, 17.
adscendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & Deum meum,
& Deum vestrum. Ut alias sit אלהיך ungens, & alias אלהים
unctus. Hanc sententiam D. Geierus etiam amplectitur
in Praelectionibus in Psalm. XLV.

IX. Antequam ad alia pergamus, placet nobis hic, occasione vocis אלהים DEUS, considerationem nominum DEI Altissimi instituere; sine qua DEUM in essentia sua cognoscere non valemus. Buxtorffius in tract. de nominibus Dei, nomina Divina ad duas classes revocari posse censet: quædam enim ab essentia DEI desumpta; וְ וְ quædam ab effectis, & attributis ejus; ut sunt cætera nomina. Quorum unum nostrum erit diligenter perpendendum. Cumque in vers. 8. Psalm. XLIV. bis habeatur אלהים notatu dignum puto, hoc nomen sub triplici forma de DEO in scripturis usurpari. אלה in singulari numero, Deut. 32, 17. Reliquæ formæ per totam scripturam defective sine expresso, unico excepto loco, ubi juxta Masoram אלהי plene scribitur, Psal. XVIII. vers. 47.

X. De Etymologia hujus nominis, ex scripturis non aliquid certi habemus. Sed quantum ex Scripturis nobis constat, sine alicuius præjudicio simpliciter recensebimus. Sunt, qui existimant originem trahere, ab inusitato אלה quod apud Arabes adhuc in usu, & colere, ad-

or. 4.

orare, significat; ut sit **אלוהָם** colendus, vel adorandus, is cuius cultus debetur. Huic sententiae subscribit *Sanctus Pagninus*, & *Glossa in Phibol. sacra lib. 3. tract. 1. can. 25.* Alii vero deducunt ab **אללה** juravit: quia in juramentis DEI fit mentione. Huic vero repugnare videtur, quod **אללה** habet **ה** mappikatum. Non desunt, qui originem ejus ab **אל** conantur probare, quorum sensus Analogiae Grammaticae adversatur: cum **ה** nunquam sit servile, & proinde Heemonicum hic regulariter esse non possit. Exemplum tamen unicum habemus nominis **נָהָם** a **quod** in formatione ab analogia grammatica recedit, ac **ה** tertiam radicalem abjicit. Insolita quidem haec formatio in verbalibus appellativis: sed ad imitationem hujus, forsitan huic, certas ob causas, nobis ignotas, una possit esse addita. Ad hanc sententiam *Marcus Morinus* inclinat, cum in *area Noe*, in hac voce, sic scribit: Alii & fortasse verius ab **אל** deducunt adjecto **ה**: quasi potentissimum dices. Huc inclinat Abarbinelis, quam in Comm. suo in Genes. cap. 1. patefecit, sententia. Nos autem illis assentimur, cum Excellent. nostro Glassio, qui oriundum putant ex inusitata **אללה**. unde Arabes DEUM quoque Ilahon vocant: quia solus adorandus est. Vel dicendum est, quod radix ejus prorsus sit ignota, & nomen hoc essentiae Divinae significandae impositum.

XI. De significatione, & sensu hujus vocabuli, interpres longe invicem discrepant. Hebrei proprii judicem, seu Magistratum significare contendunt: ut *Rab. Moses ben Majemon*, *Rab. Solomon*, *Rab. David Kimchi* & *Talmudici ipsi*. Unde in tractatu *joma* fol. 87. 1. ad verba **אֵם וְחַטֹּאת אֲשֶׁר לְאַתָּה וְפָלָן אֶלְדִּים**, *se peccaveris vir in virum, judicabit ipsum*
 1. Sam. II, v. 25, queritur **מִן אֲלֹהִים** quid est hic **דַּיּוּכָל**? **אֲלֹהִים**?

נָאָרְצָה? judex. Sic Exodi XX. v. 8. Et accedit Paterfamilias ad Elohim (Judices) & ibidem vers. 9. ad Elohim (judices) veniet negotium amborum illorum: quem condemnaverit Haëlobim (judices) duplum rependet. Author lib. Cosri parte 4. ab initio de hac voce ita scribit: Nomen אלהים est Epitheton Dominatoris in rem aliquam aut judicis. Et talis est, vel universalis, Dominum habens in mundum universum, vel particularis, in parem aliquam, veluti, vel virtus aliqua celestis, vel natura rei alicuius, vel judex inter homines. Abarbinel tamen sententiam Rabbinorum superius recensit, his rationibus refutat: Quomodo admittere potest intellectus, inquit, quod primum & proprie de judicibus dicatur, & metaphorice de benedicto DEO? cum statim in initio legis aliquoties de DEO dicatur, & postea per universam scripturam millenis vicibus: econtra de judicibus rarissime, & paucissimi in locis. Addit: Si scripturas accurate examinare velimus, deprehendemus, hoc nomen fortassis de judicibus plane non repetiri: nam scriptura, quando de judicibus loquitur, eos vocat nomine שְׁפָטִים aut שְׁפָטִים. Sententiam Abarbinelis evidenter locus Deut. XIX. v. 17. corroborat, ubi legitur: Tunc stabunt duo illi homines, quibus est lis coram אלהים. Certe non audemus exponere hunc locum de judicibus, vel sacerdotibus, ac ipsis nomen DEI Tetragrammaton tribuere. Huic accedit Paralipom. XIX, 6. quiclare monstrat, scripturam usurpantem nomen אלהים, de negotio judicii, per hoc nomen intelligere DEUM ipsum, non judices. Adde Deut. I. v. 7. In quem sensum etiam judices ibi Jofaphat alloquitur: Videte, quid faciatis: non enim homini judicatis, sed Domino, & vobiscum est in negotio judicii. Si vero quis omnino statuere velit, judices vocari Elohim, hanc tamen fatebitur nequa-

nequaquam esse propriam & primam vocis istius significationem, sed metaphoricam. Aben Esra videtur affirmare, hoc nomen primo & proprie dici de Angelis, propterea, quod opera DEI sunt per ministerium Angelorum. Sed hanc sententiam unico fundamento refellit Abarbinel, cum dicit; sequeretur necessario, אלהים in primo legis Divinæ versu, Gen. I. dici de Angelis. Hoc manifeste falso. Non quidem dubitandum, quin haec vox אלהים sit pluralis numeri: quam sententiam etiam Abarbinel non plane rejicit. Evidem ac si singularis esset, de una persona, aut re individua usurpari, negare nolumus; ut de uno vitulo Exod. XXXII. & de uno Mose Exod. IV. Pari modi, et si alio sensu, & respectu usurpatur de una persona Divinitatis in nostro Psalm. XLV. v. 7. 8. Ceterum sententiae statuentium hinc Trinitatem, absolute, personarum in Divinitate posse probari, non quidem subscribimus: sed conantium tamen inde pluralitatem evincere, amplectimur. Nec admittimus opinionem eorum, qui dicunt, אלהים aliquando in singulari, aliquando in plurali positum esse, quasi satis notum sit in Hebraica lingua usum hunc obtinuisse, ac propterea non mutare sententiam. Ut Hieronymus de אלהים scribit Epist. 136. cuius verba haec sunt: Scire autem debemus, quod אלהים communis numeri sit, quod & unus Deus sic vocatur, & plures, ad quam similitudinem cœlum quoque appellatur, & cœli שמיς unde & saepe interpres variant. Cujus exemplum in nostra lingua habetur, Athenas, Thebas, Solos. Et quæstion. in Genef. verbum Hebraicum אלהים communis est numeri, & Deus quippe, & Dii similiter appellantur. Huc usque Hieronymus. Porro nobis licet æque, ac incredulis Judæis, hujus nominis אלהים Em-

D

hpa-

phasin perpendere, ac firmiter personarum pluralitatem ex hac affirmare, & opera Divina, seu ad intra, huc referre. Cum illi Emphasin, ac significationem diligentissime investigaverint, ac eam pluralitati influentiarum seu potentiarum accommodaverint. Ut Don Isaac Abarb, suam mentem de hac voce ingenue patefecit. Reliqui Judæorum non sunt audiendi, cum אלהים esse nomen Dominii statuerunt, ac honoris & excellentiæ gratia, soli & vero DEO tribui putaverunt. Sed (ut hanc nominis Elohim considerationem finiamus) cumplurimis Orthodoxis concludendum, hoc nomen DEO proprium esse, ac non sine magno mysterio, in scripturis sacris hoc sibi indidisse, ut iterum *Gloss.* noster sentit *Philo, Sacra lib. III. Traç. 1. p.m. 87.* Illud vero scilicet אלהים sacrosanctæ Triados personarum in una simplicissima essentia Divina, mysterium clarissime tradit, & voce plurali אלהים mysterium exprimit *Genes. I.* Addendum tamen, quod nomen אלהים proximo significatu personarum pluralitatem, in Divina essentia, innuat: non determinate Trinitatem. Hæc *Gloss.* qui nostram superius declaratam sententiam corroborat.

XII. Ordo jam nos monet, ut ad tertium nostræ translationis membrum perpendendum progrediamur, ipsam scilicet unitiōnem. Hæc Messie uncio nomine quidem convenit, cum aliis unitiōibus Regum, Sacerdotumque: sed modo longe differt: cum illa non ceremonialis, & corporalis, sed spiritualis sit, ac DEO ungeniti immediate tribuatur: hæc ceremonialis ac externa, a Mose primum, deinde Prophetis peracta fuerit. Vox, quæ continetur in Psalm. XLV. v. 8. actionem hanc divinam describens, est מטהיך ענxit te, a radice משׁׁמַּךְ ungere, oleo scili-

scilicet, proprie significante: quod oleum personis, vel rebus ungendis, non tam infundebatur, quam illinibatur: quia materia erat spissior magis, quam liquidior. In Veteri Testamento iussu ac ordinatione Divina, Reges, oleo a Deo certo modo præparari iussi, & descripto, ungebantur, Regi similiter & Sacerdotes. Exod. XXX. Hinc ad munus aliquod sanctum destinati, uncti dicti sunt. Utrinque Reges & Sacerdotes, uncti, Typi Salvatoris nostri fuerunt. Unde per Antonomasian ab Hebreis dicitur **מֶלֶךְ הַמָּשִׁיחַ** Salvator noster Jesus Christus, de quo v. 8. loquitur **מֵשֶׁךְ עַנְחֵיתְךָ**. De ungere, quis fuerit, superius expositum.

XIII. Nostrum itaque porro erit modum unctionis considerare. Modus ungendi sacerdotes summos, & Reges in Veteri Testamento talis erat. Is qui ungebat Regem, vel Sacerdotem, accipiebat **שָׂמֵן הַמָּשִׁיחַ** oleum unctionis: quod in tabernaculo fœderis, & postea in templo Hierosolymitano affervabatur, e cornu, i. Sam. XVI, 13, i. Reg. I, 3, & capiti ejus, qui ungendus erat, partem aliquam ejus infundebat, partem etiam inungebat. Si antiquissimæ Hebrœorum traditioni, quæ in Tractatu Talmudico *Kerithuth* fol. 77r, repetitur, credendum; uncti fuerunt Reges, illæ nota, quæ instar coronæ esset: ira ut spissius illud unctionis oleum, digito ungentis acceptum, illiniretur circa caput Regis, referretque in orbem ducta litura, coronam aliquam. Sacerdotes autem uncti capiti illorum illita nota, quæ esset instar χ Graecorum. Ad figuram hujus literæ pingendam, ungens incipiebat, ungere digito suo, inter palpebras oculorum, & protrahebat digitum suum super caput ejus, & pergebat, usque dum pertingebat cervicem. Quæ figura Crucem Chri-

sti referebat. Atque haec unctionio typus erat unctionis Christi, de qua hoc Psalmo agitur, quae mere spiritualis, nulloque oleo vel unguento materiali facta est: sed ipso Sancto Spiritu, idque factum, ipsius muneris gratia, ut hoc perfecte fungeretur, ad quod infinita requirebatur virtus. ut Doctor Calovius in annotatis in hunc Psalmum recenset, cuius haec ratio est, quod peccatum, mortem, Diabolum vincere, corda inimicorum transfigere, sceptro verbi dominari, principes in universa terra constituere, Ecclesiam ceu sponsam, interno, & spirituali decore, exornare, eandemque totam gubernare; opera sint divinae & infinitae virtutis. Praeterea ut in vers. 7. Solium seu Thronus cum sceptro, non materialiter, & do communis throno, cui Reges solent insidere, intelligendus, sed mystice de Dominio totius terrae, ad evictionem ad dextram Patris, ac possessionem throni Divini aeterni: ita hic & unctionio, & oleum laetitiae, non de oleo communis preparato, quo olim Reges, & alibi ungebantur. Sed de ipso Spiritu Sancto, qui Messiam nostrum, tempore conceptionis, gloriosissime exornauit, ac donis infinitis, ac gratiosissimis, obeundi officii Messiae causa, inaugurauit: longe secus, ac typi ipsius Reges, summi Sacerdotes, fragrantissimo balsamo inuncti externe; qui tamen mediante unctione hac, Spiritum Sanctum nacti etiam fuerunt, ut in Sacris recentefetur.

XIV. In explicanda hac unctione, quæ in versu 8. Psalm. XLV. comprehenditur, ac Filio DEI assignatur, veteres varias soverunt sententias. Nec hodie recentiores inter se convenient. Quidam veterum unctionem hanc ab aeterno, filio Dei tribuunt: eamque per generationem ei competere, dicunt, per quam Filio DEI essentia Patris communicata est. Aliam sovet Nazianzenus

zenus sententiam, cuius verba hæc sunt; Orat. 4. de Theolog. Divinitas humanitatis unctio est, non operatione, ut in aliis Christus, sed totius unctionis præsentia: cuius hic effectus est, ut id, quod unctionis, homo vocetur, & quod unctionis, DEUS fiat. Huc usque Nazi: Nostrates autem unctionem Christi humanæ naturæ soli competere, existimant, cum Divinam naturam infinitam esse, ac incrementi non capacem fuisse animadverterint. In quibus autem hæc unctio consistat, iterum longe interpres discrepant. Quidam ad prædestinationem referunt, qua veluti præparatus, ac destinatus est ad gratiam unionis, & officium mediatoris. Alii ad dona humanæ naturæ collata pertinere, putant. Nonnulli per unionem personalem ipsam unctionem intelligendam esse, qua humanitas ad summam dignitatem erecta, nempe in Persona filii DEI subsistendo, unde infinita dona etiam promanarunt. Multi vero interpretum, unctionem hanc perfectam in Baptismo Christi in Jordane censent, cum visibiliter Spiritus Sanctus ex celo descendebat, tum eum Spirito Sancto unctionum, ut ab eo impelleretur ad omnia perficiendum, quæ de ipso prædicta fuerunt. Quam sententiam ex Luc. cap. IV. probant; ubi CHRISTUS ipse dicit. Spiritus Domini super me, propterea, quod unxit, ut Evangelizem pauperibus, misit me.

XV. Adduximus in genere sententias varias; Nunc quibus subscribamus, & quid ipsi statuamus, exponendum est. Ea quidem, i. quod ad externam unctionem in Vet. Testam. factam artinet, Aaron quidem primus a Mose mandato Dei unctionis est, & nomen hunc gestabat, Exod. XXIX. Nam hoc modo placuit DEO eum sanctificari; ac ipsum ad munus suum sanctum consecrari; quo fine etiam vasæ ac instrumenta Templi unctiona fuerunt.

Præterea 2. ungebantur etiam Reges, inter quos Saul quidem primus fuit. Quo medio potestas exequendæ voluntatis divinæ solenni ritu ipsis a Deo conferebatur. *i. Sam. IX. v. 16.* Denique 3. Prophetas etiam unctos fuisse, ut recte, rite, & sancte officio legationis Divinæ, fungerentur, ut & Spiritus Sancti gratia corroborarentur; neminem inficiari posse existimo: ut de Eliseo *i. Reg. XIX. v. 17.* Postremo 4. Patriarchis hoc nomen tribueret David in *Psalm. CXLV. v. 15.* non dubitat, propter internam animi virtutem, & hanc unctionem internam fuisse, clare nobis constat, cum nullibi eos oleo perfusos legatur, ut Euseb. Christus, inquit, vocat Patres veteres, qui ante Mosis ætatem vixerunt, nullam aliam ob causam, quam propter Divini Spiritus influentiam, cuius participes erant. Hinc est, quod nomen unctionis, ratione significati in Vet. Test. saepè: in Nov. Test. semper internam potissimum, & spiritualem unctionem significet, dicit *Rivetus in Comment. in Psalm.* Omnia haec s. recensita, in eum finem, a DEO ordinata, & peracta sunt, ut Antitypum Messiam praefigurarent. Ejus unctionem maxime spiritualem ac internam fuisse, scriptura clare testatur, cum oleum appellavit, oleum laetitiae, de quo inferius agetur, hoc est Spiritum Sanctum *Aet. X. v. 38.* *Is est, quem unxit DEUS Spiritu Sancto, & virtute:* Unctus ideoque est, ut munere Regis, Prophetico, ac Sacerdotali nostri causa fungeretur. Huc pertinet illud *Eusebii Demonstr. Evang. Lib. 4. c. 15.* verba ejus haec sunt: In scriptura, virtutem Divinæ naturæ, quæ ad omnia valet, omne bonum praefstat, omnem pulchritudinem subministrat, oleum vocari, quoniam oleum auget lumen, fessos sublevat, aufert labores, hilares facit eo inunctos, instar luminis de seipso vibrat splendores. Haec ille.

XVI.

XVI. Ita sententiam nostram, de unctione, declaravimus: paucis mentem nostram, secundum quam naturam unctionis facta sit, exponemus. Varias Doctorum sententias, superius narravimus, quo tempore unctionis facta, ac secundum quam naturam. Sed hic cum orthodoxis concludimus, secundum eam naturam factam, juxta quam Christus habuit consortes, nempe humanam: quia Deitati nihil potuit accedere; quod Athanasius confirmat in Orat. contra Arrianos, verba ejus sunt: *Assumpta caro & λόγος, & in eo inungitur & letiscatur.* Huic accedit Cyril. lib. de recta fide ad Regin. Quod unctionis sit secundum humanitatem, nemo qui recte sapere solet, dubitavit. Et Comm. in Ef. LXI. Christus, Deus cum sit, idemque homo, dat spiritum creaturae, Deitatis ratione, accipit autem illum a DEO Patre, ratione humanitatis, hanc unctionem dicimus. Haec ille. Ac Irenaeus, his antiquior, lib. 3. aduersus haereticos, c. 10. Secundum id, quod verbum DEI homo erat, ex radice Jesse, & filius Abrahæ, secundum hoc, requiescebat Spiritus DEI super eum, & ungebatur ad evangelizandum humilibus. Calviniani contrariam sententiam tuentur, cum unctionem, ordinationem, & officium mediatorium, explicare volunt: ideoque eandem ad utramque naturam referunt. Videlicet etiam Riverus, ad hanc sententiam inclinare, in Comm. in Psalm. XLV. etiamsi fateatur, Christo non posse tribui, quatenus Deus est. Allegar eriam Perkinsum, in exp. sitione symboli, qui dicit, *unctionem tam ad Deitatem, quam ad humanitatem se extendere.*

XVII. Unctus dicitur Christus praे consortibus suis. Nam Psaltes dicit: *unxit te Deus, בְּחַבְרֵךְ pre consortibus tuis.* בְּחַבְרֵךְ consors, socius, a radice בְּחַבְרָה conjungi, vel sociari, etiam Sanctes Pagninus vertit, *pre participibus iuis.* Qui nam

nam hi sint, variae occurunt sententiae. Augustin. intelligit omnes homines, propter participationem sanguinis & carnis. Hieronymus putat, intelligi per confortes, Apostolos credentes ac Christianos omnes, ab unctione Christi unctos, quos Paulus ad Heb. 3. v. 14. μετὸς χριστοῦ vocat: & ad Joh. 3. v. 34. ait: Non ad mensuram unctus, ut omnes confortes ejus ab eo aurire possint. Alii participes honoris Regii intelligent. Quidam omnes in universum, qui Dei gratiae participes sunt, terrestres aquae, ac cœlestes. Superfunt plures sententiae: sed omnes recensere, videtur taediosum fore. Nobis autem videtur מְחַבֵּךְ rectius intelligendum esse, de Regibus, Sacerdotibus, ac Prophetis, cum singulari Dei vocatione haec munia adepti sint; ac sine omni dubio Christi figuram gestarint: credentes tamen in Christum, non excludendos ab hac unctione existimo.

XIX. Calviniani comparationem aliquam hinc deducere satagunt: nempe eadem finita dona sanctis hominibus collata fuisse; Christo tamen secundum humanam naturam longe sublimiore gradu ea data esse. O comparationem aliquam in hoc loco præ se ferre, inficiari non possumus. Sed huic comparationi tantam vim imesse, ut sensus sit, credentes, vel Typos Christi, venire in νοιωνίαν, eorundem donorum, alia scripturae loca clare negant. Nec particula Mem hoc urget. Nam & de Jehova dicitur, Pf. CXXXV. quod magnus sit סְבִּר־אֱלֹהִים ac Pf. XCVI. quod יְהוָה sit terribilis עַל־כָּל־אֱלֹהִים Hic instituitur comparatio inter Deum summum, & falsos, vel λαοὶ μάρτυρες Θεῶν: ac tamen plus, quam toto generere, ac infinitis modis ab iis Jehova differt. Parimodo, cum Christus παπὰ τῶν μετόχων dicitur unctus, longe sublimiore ratione se habet unctio illa, quæ Christo competet,

tit, quam quæ ex Christo, credentibus: quippe a qua spe-
cie, imo toto genere illa discrepat, ut *Gloss.* lib. 3. *Pbil.* S.
trah. 5. can. 21. cum omnibus Orthodoxis censeret. Aliorum
vero etiam sententiam de præfixo δ perpendemus. B.
Hoepfner vult, δ pre, non tantum innuere comparationem
graduum, sed & eminentiam, specie differentium
donorum. vid. *Hunn.* T. 4. Op. f. 462. 465. *Flacius P.* I. *Clav.*
in voce *ungere*, commode etiam reddi posse (propter)opi-
natur: quam observationem *Waltberus* vocat pulcherri-
mam, ac jucundissimam, quod scil. Christus oleo Lætitiae
perfusus sit, propter consortes, ut unctio ab ipso derive-
tur in homines fideles. Quod Dn. *D. Geierus* notavit.
Huic sententiæ autem, allegatus versus in Epist ad Hebr.
c. I. v. 9. aduersatur, ubi non babetur δια sed παρὰ τὸς υπ-
τοχεὶς σ. Addimus Glassii annotationem, præfixum δ
negative in hoc loco accipere inconveniens fore. Ver-
ba ejus hæc sunt: *Sequetur, quod Christus sit unius, ac*
υποχεῖται ipsius non ungaritur, quod tamen dici neguit: cum con-
trarium, El. LXI, 3. ubi eadem vox ΠΩΠΩ de unctione cre-
dentium usurpatur, que Ps. XLV, 8. de unctione Christi, i. Job. II,
20. 27. Εἰ alibi extat; quod Εἴ ipsa τὸν υποχεῖται appellatio &
participatione deducta, indicat. Hæc Glassi, lib. 3. Tr. 5.

XIX. Sit ergo hæc sententia firma, nempe Messiae un-
ctionem superasse infinite omnium ejus consortium.
Nam in momento conceptionis, infinita dona ipsi col-
lata fuerunt, ac omnia munera semel suscepit; quod vix
allicui contrigit, qui simul fuerit Rex, Sacerdos, & Prophe-
ta. Imo Rex Regum, summus Sacerdos, ac summus Pro-
pheta Christus fuit. Alii Reges externe quidem fuerunt
uncti, ac Spiritu S. ornati; similiter Sacerdotes ac Pro-
phetae: sed omnes ad mensuram. Praeclaras actiones

perpetrarunt; tamen cum aliqua imperfectione. Messias autem cum summa perfectione omnia egit: quia non admetitur huic Deus Spiritum ad mensuram. Joh. III, 34. Propterea quaecunque, omnes illi sive Duces, sive Reges, sive Sacerdotes, sive Prophetæ, ac uno verbo omnes confortes ejus, habuerunt, cuncta ab eo manasse, neminem inter Christianos inficiari existimo, ob illud Pauli, Gal. IV. *Quandoquidem estis filii, emisi Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Clarius sole, scriptura nobis exemplum proponit, in festo Pentecostes, cum Apostoli spirituale illud christina, visibili acceperunt specie, juxta Prophe-tiam Joëlis cap. II. Sed ne in his nimis morari videar, differentiam, inter consortes, & Messiam, insignitem, paucis complectar verbis. Christus secundum Deitatem, est ejusdem essentia, cum Spiritu, gratiarum autore, & collatore, & humanitas in ea subsistit: in illa ergo Persona, quæ cum Spiritu DEUS est, tota plenitudo Deitatis in-habitat corporaliter h.e. tanquam in corpore proprio, & hoc propter unionem personalem. Consortes autem ejus, participes sunt Spiritus S. propter Christum, & hoc gratiose.

XX. Unctione Messiae exposita, consequens est, ut ad explicationem quarti nostre tractationis membra accedamus, quod est *oleum Letitiae.* Verba ita sonant: *Unxit te DEUS oleum Letitiae.* בְּשָׂמֵחַ שְׁמִינִי pro Quia alias verbum חֹשֶׁן unxit, construitur cum praefixo חַ Confer Exod. XXX, 26. Pj. LXXXIX, v. 21. Vox חַ Oleum, a ra-dice חַ pinguis fuit significat proprie non simplex ole-um, ex olivis expressum: sed compositum ex specie-bus-aromatatum: quale etiam fuit illud ipsum oleum unctionis, quod Exod. XXX, 22. descriptum legitur. Sed in

in nostro loco est oleum mysticum: quod dicitur *oleum Lætitiae* πνεύμα, quod a radice θεοῦ gaudere, letari, provenit. Sanctes Pagninus, voluptatem & oblectamentum in animo habere, vertit; additque aliorum sententiam, qui non existimant gestum, sed affectum animi significari: quam sententiam etiam Rivetus amplectitur, cum explicat πνεύμα πνεύμα influentiam Spiritus innuere. Vocatur autem oleum lætitiae ab effectu: quia inunctos summa affectiebat animi lætitia, & in rebus agendis alacritate. Patitur hoc in loco Spiritus S. se describi hoc Epitheto, facta allusione ad balsamum illud sacrum, seu oleum, Exod. XXX, 25. præceptum: quo Reges, summique Pontifices, ac Prophetæ ungebantur: ac suavissima ejus fragrantia, mire & intime, cuncti hominis spiritus reficiebantur, Ps. XXXIII. Hoc in Vet. Test. oleum corporale fuisse nemō dubitavit: ac illo quidem inuncti sunt, non tamen propter se, sed propter spirituale & cœleste; cuius corporale symbolum, atque medium fuit, quo uncti Spiritum Sanctum nancisebantur. Oleum autem spirituale, erat Spiritus Sanctus, cuius ope unctionis David particeps factus, ab ipsa die unctionis, mansitque supra illum deinceps, nisi quod peccatorum mortalium causa ab eo ad tempus discesserit. 1. Sam. XVI. v. 13. Liquet ergo, quodnam oleum Lætitiae hoc loco intelligendum, cuius confortes participes facti; nempe Spiritus Sanctus, cui justitia, pax & lætitia assignatur, Rom. XIV. v. 17. Ideoque hoc oleum Lætitiae opponitur luctui & tristitia: ut proinde hoc loco innuatuerit ejusmodi collatio Spiritus Sancti, quæ omnem mœtorem depellat a Messia nostro, pro omnibus humani generis peccatis satisfacturo. Ex quo oleo Lætitiae, omnis salus ac hilaritas Ecclesiae dependet. Hinc exiguum corporalis olei Vet. Test. comparisonem, cum hoc oleo lætitiae spirituali, tam Vet.

E 2

Test.

Test. quam Nov. instituere, absorum hic fore non existimo. Placet autem nobis hic Dn. D. Geierus, cuius verba haec sunt: Membra inuncta corroborat, laxata foveat, aspera mitigat, dolores lenit, ardorem extinguit, agilitatem confert, nitorem cuti restituit. Huc usque ille. Nihil jucundius piis hominibus, in hoc Regno gratiae, evenire posse, mihi persuadeo, quam, cum perpendent, membra sua esse templum DEI, cuius caput Christus, & in quo Sancta Trinitas cupit inhabitare, secundum promissionem Christi. Quos etiam oleo laetitiae, Spiritu Sanctu, invngit: cumque eum in corda eorum misericordia, corroborationem pretiosiorem nemo mortaliū desideret. Laxata enim hic foveat, id est, fauciata sanat. Fatendum enim est, membra vehementer nostra fauciata, ac lethaliter vulnerata esse, foedissimis nostris peccatis, ac nullo amplius modo sanari posse, nisi hoc oleo laetitiae. Aspera mitigat, nimirum acrimoniam primum comperimus, cum conscientiam nostram lesimus, unde intolerabiles dolores nascuntur, cum primum autem oleo Laetitiae inuncti faciemus, hoc statim vim suam exserit, & anxietates nostras depellit, ac dolores lenit. Ardorem extinguit: notum est, membra veneno infecta vehementer ardere, ac uti, ita desiderio incensa, committendi alicuius peccati, similiter ardent, admisso autem hoc oleo Laetitiae ac obice ei non posito, ardorem illum illico extinguit. Agilitatem confert, nihil enim verius, quam hoc oleo Laetitiae inunctos, agiles reddi ad operandum conformia voluntati Divine, ac fugiendum prohibita. Nitorem cuti restituit: certe nitorem nostrum spiritualem, penitus per lapsum Adæ amissimus, & admodum deformes, in conspectu Dei, facti fuimus. Unde in peccato concepti sumus, ac natura alii iræ; sed

hoc oleum lætitiae, quo per fidem, ac propter Christum
inungimur, nitorem nobis pristinum restituit, ac filios
Dei fieri in æternum efficit.

XXI. Cum jam finem describendi oleum Lætitiae
in æternum laudandum fecerimus; reliquum est, hujus
sanctissimæ unctionis effectum perpendere, describatur ille
his verbis: *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem vel imple-*
tatem: propterea unxit te &c., ubi haec particulae כִּי pro-
pterea, occurunt, quas paucis verbis tetigimus sup. cap.
2, thes. 4. sed hic fuisus eas exponemus.

XXII. Juxta Hebræorum traditionem כִּי quando-
quidem, propterea quod, eo quod, plurimi Orthodoxi etiam
interpretantur: idcirco autem has particulæ non cau-
sam meritoriam hoc in loco innuere statuimus, ut sensus sit,
eo, quod dilexisti justitiam, unxit te Deus, sed
ut unctio sit causa tanti amoris, & odii. Et quam-
vis nonnulli ex Patribus, particulam propterea, illativam
videntur facere; non tamen meritum in ea constituerunt
unctionis, proprie dictum, sed pro præmio eam assi-
gnarunt. Ita Cyrilus Thesaur. lib. 8. quoniam ait, cetera
omnia mutabilia sunt, secundum naturam, & mutabilia Dia-
bolum superare nequeunt. Tu vero Iesu Christe, ut incom-
municabilis Pater, incomunicabile verbum, semper justitiam diligis,
& iniquitatem odio habes, propterea unxit te Deus, ut in te
primo natura humana, perfectam a Diabolo vicioriam conse-
queretur. Huc usque Cyril. Alii statuunt, quod per
se particulæ istæ nihil importent, nisi generaliter nexum,
tacquam antecedentium, & consequentium. Multi au-
tem ex Pontificiis, ex his particulis, meritum glorie ali-
quod inferre conantur: allegantque locum, Phil. II. v. 9
quam

quam vero sententiam nostrates refutarunt: ac in hoc etiam ad Philippenses loco, non meritum, sed ordinem dispositionis Dei Patris denotari, affirmarunt. Similiter itaque has particulæ in eodem loco nostro, significare ordinem Divinæ dispositionis nos assentimur. His accedit Glassis expositio harum particularum, lib. 3. tract. 7. c. 15. cuius verba hæc sunt: conclusiva עַל־כֵן quapropter, idcirco, Psalm. XLV. dilexisti justitiam, & odio habes iniqutatem עַל־כֵן propterea, quod unxit te Deus, Deus tuus, oleo gaudet, præ confortibus tuis. Non unxit Pater Christum, quia recte administravit Regnum; Sed ideo unxit, ut recte administrare posset. Haec ille. Confer Esa. LXI, i. Luc. IV, 18. Ita etiam Gen. XXXVIII, 26. Jud. VI, 22. Ad hæc Glassis in Tract. 6. Phil. Sacr. Heb. I, v. 9. dicit rabbio, propter hoc unxit te Deus oleo letitiae, hoc est, in hunc finem, plenitudinem Sp. accepisti, ut ea præstes, quam in præcedentibus verbis, Psalm. XLV. praedicantur. In Hebreo respondet ei עַל־כֵן quod & ipsum de finali causa explicandum.

XXIII. Cum ergo eum in finem, Deus Messiam unxit, immensis Spiritus S. donis, ut diligeret justitiam, & odio haberet, impietatem; consequitur hanc justitiae dilectionem, & impietatis odium, effectum esse unctiōnis. אהבת עֲדָק dilexisti justitiam, dicit Psaltes. אהבת נְהַבֵּד descendit, & significat, amare, diligere. Rivetus sic interpretatur: diligere justitiam, plus est, quam exercere. Cui sententia assentimur. Nam multi exercent justitiam, ratione officii, nempe Regentes ac Magistratus constituti, sed coacte cum tempus & conditio semper eis non permittat, justitia executionem præterire. Hi quidem nihilominus Typi fuerunt Regis

gis Messiae nostri: Sed hic tamen longe aliter Iceptum fuum gessit, ac justitiam exercuit (ut pulchre D. Geierus nempe, cum effectu, ita, ut non nuda fuerit apud eum oblectatio, & propensio, erga æquitatis, & justitiae studium, sed ut justitiam generi humano quidem concretam, per lapsum vero amissam, restauraret, laboriosissime, nec non patientissime, ipsemet justitia peccatorum penitentiam factus, 1. Cor I, 30. Notant Hebraice lingue gnari נָבָתְנָא cum emphasi magna prolatum, ut sensus sit, eum esse diligentem justitiam, qui in ea sibi placet, & acquiescit, eam exquirit & prosequitur. Hoc pertinet Esa. 61, 8. *Ego Dominus, diligens justitiam, & odio habens rapinam.* Constat ergo eum summa cum æquitate administrare Regnum sibi concreditum, ut qui justitiam hoc modo dilexerit, & iniquitatem odio habuerit, id, quod bonostuendo, ac malos pena afficiendo, perficitur.

XXIV. Sequitur נָבָתְנָא & odisti impietatem: venit a radice נָבַד odio habere: opponitur verbo נָבָב. Et dicitur interdum per comparationem alterius, quod magis amat, non quod propriè odio habetur, ut de Lea & Rachel, Gen. 29. & alibi. Hoc loco autem, odisse & amare ita sunt opposita, ut רָשָׁן נָבָתְנָא significet tale odium, quo Christus iniquitatem re ipsa ab hominibus aboleret, & quoad reatum, & quoad dominium: ut D. Geierus habet. Ex his clare patet, quenam sic haec justitia, de qua mentio in v. 8. facta: nempe omnem virtutem complectentem eam esse, ex opposita impietate manifestum est. Nam impietatem, hoc in loco pro parte virtutis, accipere, non textui convenit: similiter & justitiam, non partem virtutis hic significare statuimus. Quam pulchre hæc Messiae nostro competant, Esaias c. II. v. 3. ostendit.

dit. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet, sed judicabit, in iustitia pauperes, & arguet in aequitate, pro mansuetis, terrae & cap. 9, 7. super solium David, & super Regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret, in iudicio & iustitia. Diligenter etiam perpendendum est, haec abstracta iustitia & impietas, non ratio in Scripturis sacris, pro concretis sumi, nempe pro iustis, & inpiis. Præterea, existentibus nobis iniquissimis, ad nos justos efficiendos, iustitia universalis, & summe perfecta, erat adhibenda: quod fieri non potuit, per iustitiam directivam, quam Reges in Regni administratione adhibent; sed per activam, seu operativam, cuius est operari bonum, & fugere malum ut Psal. 34, 25. Recede a malo, & disce bonum facere. Hoc autem Christus per totam suam vitam, & dies exinanitionis fecit: quem statum nostri causa subivit, ut agendo, & patiendo, salutem nostram promeretur. Hanc iustitiam activam propterea appellamus, ut directiva opponamus, non passiva iustitiae, quam activae includimus. Nam Christus ita dilexit iustitiam, ut pro ea nobis acquirenda, mortem ignominiosissimam obire non fastidiverit. Constat igitur, hunc locum de iustitia activa omnino intelligi debere, ac passivam non excludi. Probatur etiam verbis Domini, Luc. 24. *Nonne oportuit Christum pari, & sic in gloriam intrare.* Praecessit igitur haec iustitia activa exaltationem, operande salutis nostræ causa, ideoque ad meritum pertinet; etiamsi vero haec activa iustitia, mere humana non fuerit, nec esse debuerit, cum secundum utramque naturam redemptor noster sit: tamen in humana natura, non in Divina, praestita est, quatenus humile quid includit; quod in Divinam naturam

ca-

cadere non potuit. Humilitati autem Christum subiectum fuisse, patet ex subsequente exaltatione: sed omnia nostri causa haec facta. Nam placuit Deo Verbum nasci hominem, ut pro hominibus pateretur, ac salutem eorum meretur, & quemadmodum suam gloriam nunquam meruit, nec mereri debuit; nec unquam nasciturus fuisset homo, nisi pati pro hominibus debuisset, ita pari modo nunquam exaltatus fuisset, nisi antea humiliatus. Huc pertinet illud Estii in Comment. in Epist. ad Hebr. c. i. v. 9. peculiare illud Christo Regi est: ita diligere iustitiam, ut nobis etiam justus iustitiae auctor, & largitor sit: & ita odisse iniquitatem, ut nos merito ac virtute sua, ab omni iniquitate mundatos sanctificet. Haec ille: Hinc clare constat, quanto odio iniquitatem prosequatur nostram: ut, cum impunitam eam manere, ferre non potuerit, se ipsum libentius plagis atrocissimis expoluerit, quam genus humanum damnatum iri patetur.

C A P U T III.

Doctrina, seu loci communes, ex Psal. XLV.

vers. 7. 8.

I.

Post brevem nostram exegesin, in vers. 7. & 8. peractam, conveniens huic materiae nobis visum est, Doctrinas paucas inde eruere: Et primo quidem: fundatum hic est mysterium Sacro-Sanctae Trinitatis: & ita quidem, ut in Veteri quoque Testamento piis investi-

ga-

gatoribus hinc patescere potuerit. Prius, nimirum fundatum hic esse mysterium SS. Trinitatis, ex voce (1) אלֹהִים aliqualiter probatur, cum hæc vox pluralitatem denotet, ut superius in thesi XI. capitis II. expusimus, & pridem a nostratibus præstantissimis Theologis contra Judæos evictum. Immediate tamen ex hac voce Trinitatem probare, non mens nostra est. Sufficit innuere pluralitatem, quæ alibi ad numerum ternarium redigitur. Nec obstabit, hanc vocem in versu 8. de una persona usurpari, ut etiam alibi: nec propterea singulariter eam significare, concedimus. Nam quaelibet persona est ille DEUS, in quo plures sunt personæ, ut D. Gerhardus noster ait, in exeg. de attrib. Divin. cuius verba sunt: אֱלֹהִים est nomen personale: Deus essentiale. Inde propter personarum pluralitatem, rede dico tres אלֹהִים sed non possum dicere tres Deos, propter simplicissim. essentiæ unitatem indivisiæ essentiæ trium Personarum: tum propter mutuam Personarum περικοπήν, quia Pater est in Filio, & Filius est in Patre.

II. Bis occurrit hæc vox in versu 8. & expresse sunt duo, qui hic אֱלֹהִים appellantur, ut Pater ungens, *unxit te DEUS tuus*: & Filius unctus, *unxit te, o DEUS*: clare hinc duæ personæ probantur in Divinitate.

III. Spiritus Sanctus, qui per Psalmistam locutus est, Conf. 2. Sam. 23, v. 13. 2. Pet. 1. v. ult. 1. Timoth. 3. v. 16. Idem Spiritus Sanctus est Oleum lætitiae, idque infinitum, cuius hic sit mentio. Conf. Joh. 3. vers. 34. Atque he habemus etiam tertiam personam in versu 8. nominatam, cui sententia etiam D. Gerhardus assentitur, in Exeg. l. 3. §. 161. ubi hoc modo sententiam suam manifestat, ut

ut cum Trinitatem ex V. T. probare conatur, alleget nostrum etiam locum cum Ps. 33. verbo Domini celi firmati sunt, & Spiritu oris ejus, omnis exercitus eorum. Ejus verba hæc sunt: Explicationem hujus dicti vide Psal. XLV. v. 8. Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo Lætitiae præ confortibus tuis. Hic mentio fit ejus, qui ungit, id est, Dei Patris, ejus, qui angitur, id est, Dei Filii, & ejus quo ungitur, id est, Dei Spiritus Sancti. Huc usque Gerhardus. Ne justo prolixiores videamur, his paucis mysteriis Trinitatis probandi gratia ex versu 8. adductis, nunc contenti erimus.

IV. Posterius autem, mysterium scil. SS. Trinitatis etiam in Veteri Testamento, piis investigatoribus ex nostro loco patescere potuisse, ita probamus. 1. Psalmus hic publice in Ecclesia Vet. Test. canebatur. Scopus autem Spiritus S. sine omni dubio, erat, cuius instinctu, Psalmus compositus est, ut erudiret, audidores, hauriende verae cognitionis gratia, DEI ac Messiae; quo vero scopo frustratus esset, si ab Ecclesia Veteris Testamenti hic Psalmus non intellectus esset. 2. Scriptura Sacra eundem usum habuit in Vet. Test. quem sub Nov. Test. atqui eum non potuit praestare, nisi intellecta. 3. Paulus minime dubitauit, adhibere verba hujus Psalmi, vers. 7. et 8. ad probandam Deitatem Christi, & quidem apud Hebreos, quorum multi pertinaces, ac minus exercitatos habuerunt tunc temporis sensus, credendi divinitatem Christi, ut patet ex cap. 5. v. 12. *Vos enim, quos oportuit pro temporis ratione Doctores esse, rursum opus est doceri, qua sine elementa initii eloquiorum DEI: fastigie estis ii, quibus latte sic opus, & non solido cibo, & sequentia.*

F 2

V. Pro-

V. Probata jam nostra sententia, de mysterio Trinitatis Sacro-Sanctae, ac Scripturae sacrae dictis corroborata, inconveniens, secundo, haud existimo fore, articulum de Messia, omnibus sumime necessarium cogniti, aggredi: qui egregie in nostris verbis fundatus est, cum hic habeatur ρινωπ unxit te: unde ρινωπ Messias, χριστος, unctus: quæ verba ipsa ad hunc articulum tractandum nos invitant. Propterea ab illis non longe digrediemus: sed divinitatem ac humanitatem Messiae nostri inde probare conabimur. In persona vero Messiae, cuius mentio fit in v. 7. & 8. Thronus tuus, o DEUS: &, unxit te, o DEUS, duo, quæ diligentissima consideratione digna, se offerunt. 1. Divina τε λόγια aeterna, & humana in temporis plenitudine assumpta natura. 2. Earum unio hypostatica, quam consequitur communicatio idiomatum.

VI. Generationem Filii DEI ab aeterno factam Psalmus secundus clarius asserit v. 7. Ubi Deus Pater dicit, se hunc suum Filium in divino ρινωπ hode genuisse. Nos ex hoc praesenti Psalmo præcipue docebimus Messiae nostri Divinitatem, ac humanitatem. Et divinitas quidem ejus, primum, hinc affirmatur: quia expressæ appellatur Deus ρινωπ in versu 7. Thronus tuus, o DEUS. Hic clare constat, non intelligendum de Patre, nam ille est ungens; neque de Spiritu Sancto, quia ille est Oleum Laetitiae, quo ungitur; sequitur ergo, quod de Filio, qui ungendus erat. Accedit firmum testimonium divi Pauli, qui ex his verbis Divinitatem Messiae probat, in Epist. ad Hebr. c. i. v. 7. 8. 9. verba ipsa haec sunt; Ad Filium autem, Thronus tuus, Deus, in seculum seculi: virga recta, virga Regni tui: & sequentia,

tia. Plurima vero insuper loca supersunt, tam ex Ver. Test. quam ex Nov. ut Es. 9. v. 6. Isa. 45. v. 17. & 25. Zechiae 2. v. 5. & 10. Oseeae 1. v. 7. Quae divinitatem Messiae confirmant: & Joh. 1. vers. 1. & 23.

VII. Humanitas autem Messias, ex verbis nostris probatur, tum quia ungi potuit Spiritu Sancto, quod Divinitati non competit. Nam Spiritum Sanctum, quatenus D E U S est, spirat, Joh. 15. v. 16. Gal. 4. v. 6. Huc pertinet etiam Augustin. tract. 99. in Johannem, & Lombardi dictum lib. 1. dist. 29. *Spiritus Sanctus*, inquit, *non aliter procedit a Patre, quam a Filio*. Tum quia habet socios, unctos socii autem sunt homines, ut supra exposuimus, nempe in Christum credentes. Hanc sententiam nostram B. D. Luth. confirmat, qui T. III. Lat. Jen. f. 460. hoc modo scribit: *An p̄e, vel proper consortes? virum autem legas, magna consolatio est, quod dicit Prophetæ, Christum sic esse letificatum, & gloriosum, ut habeat consortes, & socios participes iſtius olei & Letitiae. Diligenter est igitur observandum, omnia quae Christus haberet, esse consociata, & communicata, cum suis consortibus, qui in ipsum credunt: Sic tamen, ne nos aliquid in Christum conferamus, sed ut accipiamus omnia ab eo.* Huc vsque Luth.

VIII. Cum pauca de duabus naturis, Messiae nostri disternerimus, ac breviter Divinitatem, & humanitatem ex verbis nostri probaverimus, juvat tertio aliqua de vnione personali, & consequenti seu effectu illius addere. Hanc vnionem autem revera factam esse verba Joh. 1. 14. *Verbum caro factum est*, testantur. Modum autem explicare vnionis hujus summi mysterii, nos in hac vita non valere, pie cum Chrysoft. in c. 1. Joh. Hom. 7. fatemur, cuius effatum hoc est; *Sco, quod verbum caro factum est, at, quo*

*factum sit modo, nescio. Miraris, qui a ego nescio? omnis crea-
tura ignorant. Etiamsi autem perfectam definitionem
unionis præstare non possumus, mentem tamen nostram
declarabimus.*

IX. Due vero naturæ essentialiter distinctæ, Divina
& humana, in Christo personaliter ita sunt unitæ, ut
constituant unam personam, absq; naturarum confusione,
ut Deitas non sit humanitas, ac humanitas non sit Dei-
tas. Unde etiam unio hæc dicitur *ὑποστάτην seu personalis*.

X. In hac unione veniunt duo consideranda, 1. actus,
2. status. Ut melius mens nostra percipiatur, dicimus
actum transire & statum permanere. Actus vero com-
petit simplici Personæ, τὸ λόγος, qui in primo incarna-
tionis momento, ac humanitatis assumptione, peractus.
Estque actio, qua Filius Dei humanam naturam propria
personalitate destitutam, in personæ suæ unitatem suscep-
pit. Status autem, est inter duas naturas, Divinam, &
humanam, in *ὑποστάσει συνθέσει*. Consistit enim, in ipsa
arctissima naturarum permixtione, per *περιχώρην*, pro-
pter quam una natura, non est extra aliam, salva manen-
te unione, ac unitate Personæ,

XI. Restat, ut paucis agamus de effectu, & consequen-
ti unionis, quod communicationem idiomatum alii vo-
cant. Quæ ab unione hypostatica orta, est participatio proprio-
rum Divina naturæ, & humana in Christo θεαὐγόνωστα, ab
alterius, vel utraque natura simul denominata: Ut Mentze-
rus definit. Aliquam communicationem humanæ natu-
ræ contigisse, ex verbis nostris clare constat: *unxit te*
Deus, oleo Letisie, γέρων με pre confortibus tuis. Ubi uncio
Spiri-

Spiritus non tantum gradibus, sed etiam in specie distinguitur, ab unctione, quæ membris Christi propter ipsum contingit, ut Joh 3. v. 34. Non dat Deus Spiritum ad mensuram Christo; Sed consortibus ad mensuram datur, Rom. 12. v. 3. Si ergo Spiritum Sanctum non ad mensuram ei dedit DEUS, etiam dona immensa ei collata esse omnino sequitur.

XII. Est autem id, quod ei communicatur, Divina Majestas ac Potentia, & proinde dona vere infinita, & Divina, quod infra probabimus. Non quidem inficiamur, præter essentiales humanæ naturæ proprietates, etiam dona quædam habitualia, subjective Christo homini inherere, quæ, etiamsi omnium Angelorum, & hominum, dono longo intervallo excederint, tamen sunt, & manent finita. Sed præter hæc statuimus, dona vere infinita & immensa, per unionem personalem, & exaltationem ad dextram Patris Christo homini communicata. Non autem dicimus, hæc Christo homini per transfusionem, sed per unionem, realiter, vel carni Christi, communicata esse, Quod probatur ex Coloss. 2. v. 9. in ipso inhabitat tota plenitudo Deltatis corporaliter. Neque tamen attributa ~~et~~egyptina ipsi communicata dicimus, quæ non sunt ordinata ad actus aliquos, velut æternitas infinitas: (alias caro Christi æterna esset & infinita). Sed ~~et~~egyptina, secundum quæ DEO conveniunt, influere in actum aliquem, velut potentia, seu vis vivifica, &c.

XIII. Neque attributa DEI essentialia, absolute considerata, carni Christi communicata fuisse, statuimus: quia sic communia toti Trinitati. Sed relate, prout sunt

sunt in aliqua hypostasi, quæ hypostaticis suis characteristicae proprietatibus, a ceteris realiter est distincta: Atque sic illa carni Christi communicata sunt salva manente essentia unitate, & communitate. Ita natura DEI Filii, essentia liter est eadem cum Patris & Spiritus Sancti: & tamen, sub persona solius Filii DEI, naturæ humanæ personaliter uniri potuit, salva manente essentia Divinæ unitate & communitate.

XIV. Neque omnia attributa, vel idiomata Divina, de Christi carne possunt prædicari; scilicet per prædicationem directam: quia idiomatum non eadem utrobius est ratio; Sed manifesta earundem differentia, & in prædicatione, & in operatione, sese effert. Ut, non possum dicere, Caro Christi est infinita, & immensa, sed per prædicationem indirectam: atque sic omnia idiomata Divina de Carne Christi possunt prædicari. Recte enim dico, Christus secundum humanam naturam æternam obtinuit Regnum, accepit æternam Gloriam, infinitam Potentiam, immensam Sapientiam, est infinite Sapiens, infinite Deitatis.

XV. Ad hanc communicationem stabilendam, contra negantes eam, hanc rationem in medium proferam, eaque proprium unius, alteri communicari per unionem ostendam. Personalitas div. nat., ante unionem, propria fuit Filius Dei, ut post. Atqui hanc hum. naturæ communicatam, nemo hodie pius negabit. Sequitur ergo proprium unius, per unionem communicari posse. Prius hinc clare probatur, quod hac a caeteris personis in Deitate Filius DEI distinguitur. Ideoque propriam ipsius esse personalitatem, non dubitandum. Eam autem humanæ naturae communicatam, pia & antiqua confessio cum Scriptura S. evinicit: alias essent duae Personæ, & sic non unus Christus.

XVI.

XVI. Ut autem nostram sententiam de communicacione idiomatum, distinctius ponamus, cum venerandiss. Praeceptoribus in tres classes dispescimus, ad quas omnia Scripturae testimonia, communicationem idiomatum complectentia, recte possunt referri. Estque hoc primum Communicationis genus, secundum Theologor. sententiam, quando ea, quae unius tantum naturae propria sunt, altera natura non seorsim, quasi separatae, sed ita Persona, quae simus Deus & homo est, attribuuntur. Ad hoc genus communicationis, cum omnia illa dicta Scripturæ pertinent, in quibus vel Divina, vel humana idiomata de Christo praedicantur, haud contorte nostra verba, quæ habentur in Ps. 45, 8. *unxit te Deus, Deus tuus*, referimus. Quia dicitur hic, DEUS est unctus oleo Lætitiae. Superius autem, Christum unctum esse, tantum secundum humanam naturem, docuimus: & hic tamen tribuitur toti Persona ΚΤΛΝ hæc unicío. Hinc pater, quodquam vere Deus est homo, tam vere de Deo praedicetur, quicquid humanum est, & vicissim: quam vere hic homo est DEUS, seu Filius Dei, tam vere tribuitur hominī, quicquid Divinum & Filio Dei proprium est, ut clarissime rem exponit D. Menzerus in Exegesi A. Conf. quicquid est per naturam proprium Filio DEI; hoc omne & propter unionem personalem, praedicatur de Filio Marie; & quicquid est per naturam humanam proprium Filio Marie; hoc omne per & propter unionem personalem praedicatur de Filio DEI, que predicatione tam vera & realis est, quam ipsa unio personalis est vera & realis. Huc usque Menzerus.

XVII. In secundo & tertio genere definiendo, Theologi non unum eundemque obseruant ordinem. Quidam enim praedicata officii Christi secundo generi, praedicata autem communicate infinitæ Majestatis humanae naturæ Christi tertio genere assignant. Nos eorum

rum sequemur ordinem, qui secundo generi attribuunt Maiestatis predicate. Est vero hoc secundum genus, quod a veteribus, vulgo communicatio Maiestatis Divinæ, vocari consuevit, in quo ὁ λόγος, sive Filius Deus assumptam humanitatem, praeter & supra naturales illius proprietates, & dona creata in veram et realem proprietatum & operationum Diuinorum uocative evexit, & quae sibi propria sunt, eidem vero & realiter communicauit.

XVIII. Porro fundamentum huius secundi generis communicationis egregium verba nostra suppeditant, *unxit te, o Deus, DEUS tuus, oleo Larille pra confortibus tuis.* Itaque haec unctio facta, ut superius exposuimus, in unione hypostatica, per quam humana natura, ad Maiestatem, gloriam & potentiam Divinam erecta est. Per quam etiam Spiritum S. sine mensura, Joh. 3. accepit, & quidem, pra Confortibus, donorum immensorum particeps facta. Haec sunt facilia probatu, cum verba Christi perpenditur, *mibi data est omnis potestas, in celis & in terris,* Matth. 28. v. 18. & Matth. 9. Haec autem potestas non est data Divinae naturae: (Nam secundum eam, omnia, quae Patris sunt ab aeterno possidebit Filius:) sed humanae. Hinc probe observandum, in hac classe, non aequo locum habere reciprocationem, ut in priori; ratio haec est: humanitas exaltari, & perfici potest, Divinitas deprimenti non potest: *assumentis est dare, non assumpti, inquit veteres: ὁ γένος enim in se ipsum assumpit carnem, non ipse assumptus est a carne.*

XIX. Sequitur nunc tertia classis, s. tertium genus communicationis idiomatum, quod ad officium Christi pertinet: Estque, definiente Concil. Chalcedon. *quando una natura in Christo, agit seu operatur cum communicatione alterius, quod cuique proprium est.* Ne longe a textu, seu dicto nostro, videamus digredi: hoc genus tertium utique e dicto nostro fluere, patefaciemus. Nam extat, *unxit te, o Deus*

Deus, &c. Unde consequitur, Personam hanc esse Messiam, sc. Christum, h. e. esse Regem, Sacerdotem, & Prophetam, cuius officium est, salvare populum suum, ut pulchre Menth. in Exeg. Sanare, justificare, redimere Ecclesiam; defruere regnum Diaboli est officium Christi, secundum utramque naturam. Attamen non dicimus, Christum esse passum, & mortuum, secundum utramque naturam, sed cum Scriptura, Christum esse possum, et mortuum, carne sive secundum carnem. Haec ille.

XX. Quoniam hoc genus a textu nostro non est alienum, ac de officio Messiae nostri peculiariter agit, pauca de triplici officio Messiae addemus: de Prophetico, Sacerdotali, ac Regio. Hoc officium Regium ad exaltationem humanae naturae Christi, ad dextram Patris, pertinere, antecedentia nostri versus, & consequentia evincunt. Versus enim 7. diserte agit de throno ipsius aeterno, & sceptro rectitudinis, quale est Sceptr. Regni eius. Pari modo, in Ps. 110. vaticinium habetur de Regno Messiae: ac quasi per eum Ps. 45. illustratur. Unde apparet, de sessione ad dextram Dei interpretandum esse. Nostram sententiam etiam Epist. ad Hebr. c. 1. confirmat. Estque Christi officium Regium, quo ipse Deiv[er]son[us] substantialiter praesens, gubernat omnia in celo, & in terra, & in primis Ecclesiam. Itaque in Ps. nostro tribuitur ipsi Messiae Thronus & Regnum. Propterea merito Rex appellatur, non secundum divinam tantum, sed & secundum humanam naturam, in qua adveniens a Prophetis sperabatur, & promittebatur. Non solum titulum Regis gerit, sed & Regis Regum, & Domini Dominantium, 1. Tim. 6, 16. Rex Deus in Solio sempiterno Ps. 45. Hunc Regem omnes Typi præfigurarunt, hoc Schilo edveniente, sceptrum Iudaici Regni cessare, Gen. 49, 10. Eoque suum officium aggresso, omnia sacrificia aboloit oportebat, Dan. 9. v. 25. 26. 27. Moris est apud Theologos, hoc Regnum Christi duobus considerare modis, prius in hac vita, dicitur Regnum Potentiae, vel Gratiae,

Regnum Potentiae autem est generale Dominium supra omnia: nempe gubernatio cœli & terræ, Dan. 7. Psal. 8. Matth. 28. Gratia Regnum vero, est specialis operatio misericordie, & bonitatis in Ecclesia, nempe missio Pastorum, protectione & conservatio, &c.

XXI. In altera vita dicitur Regnum Justitiae, & Glorij, quod conspicietur in excitatione mortuorum, & universali iudicio, tum impiorum ad damnationem, Matth. 25, tum piorum ad æternam vitam, ibid. & Joh. 5, & in traditione Regni, Deo Patri,

XXII. Secundum Christi officium, appellatur Propheticum, quo arcanum Dei consilium, in redemptione nostra, & salute, nobis revelavit, & adhuc manifestat. Ut mentem nostram eo melius explicemus, in duas partes dispellemus. 1. in functionem officii. 2. in doctrinæ efficaciam. Hoc officium primum functus est, cum in propria visibili persona, in his terris docere coepit, ac Ecclesiam suam, in eis, quæ ad salutem scitu necessaria erant, informabat, partim legem purgando a corruptelis Pharisaicis, & Evangelium praedicando, partim Apostolos in Scholam suam ascitos constitudo, & deinde ablegando in mundum, quos omni doctrina, ad obeundum munus suum necessaria, assidue imbuvit. Ipse certe tantus erat Doctor, ut nullus mortalium, cum ipso comparari, dignus sit. Testatur hoc scriptura, cum ait: *DELLM de differenti lingua eruditorum, Esa. 50. 4.* item, *cum doctissime, ut qui potestatem habere, & non ut scribere, Matth. 7. verf. 29. Neque unquam ullum hominum ita locutum esse, Joh. 7. v. 46.* Præterea non in his acquievit, sed post exactam informationem, in totum terrarum orbem, cum mandato de Evangelii prædicatione, Apostolos suos ablegavit, Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. & adhuc exaltatus ad dextram DEI, dat Ecclesiæ sive fideles Doctores & Pastores, Ephes. 4. 11. Horum successores etiam usque diem novissimum conservat, una cum tota Ecclesia.

XXIII.

XXIII. Sequitur secundo Doctrinæ efficacia, quæ est vis illa Divina, qua Christus per Spiritum S. efficaciter movet corda hominum, ad doctrinam fidei amplectendam, Ps. 68. v. 35. Job. 6. v. 45. Hæc ad officium Christi Propheticum omnia pertinent.

XXIV. Officium Sacerdotale Christus subivit, cum se Mediætorem Deo, hominum peccatorum causam, sicut, ac Deo totum genus humanum reconciliavit; Legi Divina perferte satis faciendo, penas omnium peccatorum luendo & apud Deum eorum causa intercedendo. In hoc officio due partes, diligentissima animadversione dignæ se offerunt. 1) **Satisfactio.** Est autem satisfactio actus, quo, Deo nolente, misericorditer lapsos homines eternum perire, justè tamen & sanctè, decretum panale non revocante, bostum malitia pudefacta, Christus Servator, sponte in se transiupis, rotius generis humani peccatis, & penit, tantum paenarum passus est, quantum satis erat, reconcilianda ire offensi Dei: ut ira omnibus iuris ad impunitatem acquireretur, fidelibus perciperetur, persecuantibus eternum possideretur.

XXV. 2) **Intercessio,** qua Christus Sacerdos, vi meriti & satisfactionis, a se prestite, apud Patrem coelestem, intercedit: Et quidem, tum generatim pro omnibus hominibus, adeoque etiam pro hostiis suis, & crucifixoribus, Isa. 53. v. 12. Luc. 23. 34. tum specialem pro solis fidelibus, Joh. 17. 9. Rom. 8. 34. 1. Joh. 2. 1. Multa adhuc nobis superessent, quæ de satisfactione Christi scribenda essent, quæ huc directe pertinerent, sed brevitas causa, cogimur finem facere. Pauca tamen de statu exinanitionis, & exaltationis, addemus.

XXVI. Exinanitionem Jesu Christi θεανθρώπος clare definit ipse Apost. Phil. 2. v. 7. 8. qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inventus, ut homo, humiliatus semet ipsum, factus obediens

usque ad mortem, mortem autem crucis. Ad hunc statum autem pertinet, nativitas, incrementum ætatis, & sapientiae, obedientia, in forma servi, usque ad mortem crucis, quam secuta est sepultura. Apost. Heb. 5. v. 7. vocat *dies carnis*, quibus per Hebraismum, significatur illud tempus, quo Christus inter homines passibilis fuit versatus, 2. Cor. 5. 16. quo fuit infirmitatibus carnis, absque tamen omni peccato, obnoxius.

XXVII. Quando hic Scriptura dicit, *Christum formam servi assumisse*, per formam servi hoc in loco, primario & principaliter, naturam humanam, significari, non existimamus: sed potius serviles infirmitates, ac passiones, quibus se Christus sponte subjecit. Sententiam his sequentibus corroboramus. 1. ex oppositione formae Dei, & formae servi, quae hic sibi invicem opponuntur. At, *in forma Dei esse* principaliter hic significat, Gloriam & Majestatem, Deo conuenientem, exercere: ergo, *seruilem formam assumere*, significat, infirmitates, servo convenientes, sponte assumere. 2. ex depositione. Humanam naturam, quam semel assumpsit, nunquam deposituit, δούλος: sed formam servi in statu exaltationis omnino deposituit, quando datum est ei nomen, quod est supra omne nomen, Phil. 2. v. 10. & Eph. 1. v. 21. hoc pertinet Ambros. in Comm. b.l. Non mihi, sicut quibusdam, videtur, sic formam servi accepisse, dum homo natus est. Et paulo ante: servi formam accepisse dicitur, dum quasi peccator humiliatur: servi autem ex peccato sunt, sicut Cham filius Noe, qui primus merito nomen servi accepit. Haec ille.

XXVIII. Præterea describit Apostolus exinanitionem, per assumptionem servilis formæ, humiliationem, & obedientiam, usque ad mortem crucis. Intelligimus autem hanc exinanitionem factam esse secundum humanam naturam: licet eam Apostolus Christo tribuerit. Attamen non statuimus humanam naturam destitutam fuisse plenitudine Deitatis, ac communicata Majestate penitus privatam: sed retractionem vius & intermissionem, dum

dum Christus homo, in forma servi constitutus, Divinam Potentiam, Gloriam, & Majestatem, vere & realiter sibi communicatam, non semper exeruit, verum retraxit & retinuit, donec tempus exaltationis advenit. Prob. hoc t. ex unionis definitione, Col. 2. v. 9. in ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Ut haec unio non desit in statu exinanitionis, ita non desit illa plenitudinis Deitatis in assumpta carne habitatio. 2. ex Apost. explicatione, qui describit exinanitionem, seu *κένωσιν*, per assumptionem servilis formae, humiliationem & obedientiam usque ad mortem crucis. Atqui haec non inferunt omnimodam communicate Majest. absentiam. 3. ex miraculorum operatione. Christum in medio exinanitionis statu Divina miracula edidisse, aliique negare haud puto, Joh. 2. 11. Matth. 17. 3. Nostram sententiam confirmant sequentia etiam Patrum, Beda in c. 2. Phil. ex August. *Semel ipsum semel exinanivit, non formam Dei amittere, sed formam servi suscipiens.* Fulgent. lib. de incarn. & gratia, c. 2. *Exinanito ungeniti DEI accepto fuit forma servilis, non amissio, vel diminutio Deitatis.*

XXIX. Finito hoc statu, reliquum erit, pauca de exaltatione differere. Hic status sequitur priorem. Nam si Christus non fuisset exinanitus, neque fuisset exaltatus. Hanc D. Mentz. ex A. Conf. b. m. describit: Exaltatio, est Christi pro nobis passi & crucifixi, & tertio die resuscitati evenitio per ascensionem ad celos, ut sedeat ad dextram Patris, & perpetuo regnet, & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum misso in corda ipsorum Spiritu S. qui regat, consoletur, ac vivificer eos, ac defendat adversus Diabolum, & vim peccati. Huc usque Mentz. Apost. vero exaltationem his verbis describit, Phil. 2. 9. Propter quod & Deus exaltavit eum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu, omne genu flectatur, coelestium, et terrestrium, & inferiorum & omnis lingua confiteatur, quia Dominus est Jesus

Chri-

Christus in Gloriam Dei Patris. Ut superius exinanitionem humanam naturam assignavimus, ita etiam hic, exaltationem humanæ nature tribuendam asserimus: ut tamen totam Personam compositam, exinanitam & exaltatam statuamus. Nobiscum D. Gerh. in Exeg. I. 4. de Persona Christi consentit, ubi hoc scribit modo: Recte proinde dicimus θεοῦ πρωτόνον personam compositam totam Christi personam esse, ut exinanitam atque exaltatam: actiones enim, & passiones, sunt totius compositi. Sed si porro queratur, cum in Christo sint duas naturæ, Divina & humana, secundum quam naturam Christo tribuatur exaltatio? respondendum, secundum humanam natu-ram &c. Hæc ille. Constat igitur, Christum ccelos aseen-disse, secundum humanitatem, nam Deitati nihil in tempore potest dari, cum ab æterno Divinam Gloriam, & Potentiam habuerit, Joh. 17, 5. Proinde Christus ad dextram Patris exaltatus, gubernat omnia Divina Potentia, Deitatis propria & humanitati communicata: unctus quidem primum, in concep-tionis momento, oleo Lætitiae ut habetur, Psalm. 45, 8. Sed in tempore exaltationis perfecte humana natura, Majestate ac Potentia Divina sibi communicata, per unionem ab unctio-nem, Oleo Lætitiae est usæ.

Αποκ. 5. v. 13. τῷ καθημένῳ ἐπὶ τῷ Θρόνῳ, καὶ τῷ ἀριστῷ εὐλογίᾳ, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος, εἰς τὰς εἰώνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.



94 A 7376

ULB Halle
003 263 55X


3



Retro

V077

III.50.



21

DISPUTATIO THEOLOGICA
INAUGURALIS
DE
**UNCTIONE MESSIÆ,
J E S U,
DOMINI NOSTRI,**

Ex Ps. XLV, 8.

Du liebest Gerechtigkeit, und hassest
gottlos Wesen, darum hat dich Gott, dein
Gott, gesalbet mit Freuden-Oele ic.

P RÆS I D E
DN. SEBASTIANO SCHMIDIO,

SS. Theol. D. & Prof. Seniore Celeberrimo, Ampliss. Facul-
tatis Theologicæ Decano, ac Convent. Eccle-
siastici P ræside,

*Pro acquirendis Summis in Theologia Honoribus,
& Privilegiis Doctoralibus*

solemniter proponet

ANDREAS BRUN,

Suecus.

Die 19. Octobr. Ao. M DC LXX. Horis ante & pomeridianis.

VITEMBERGAE,
Apud IO. CHRISTOPH. TZSCHIEDRICHIVM,
Recusa 1738.

[7]